

BEATI ALOISII LENZINI, PRESBYTERI ET MARTYRIS

Flumine Albo natus die 28 mensis maii anno 1881, presbyter ordinatus est die 19 martii 1904 ac vicarii ministerium pastorale Casali Albino et Finarii perfecit; deinde parochus fuit Ronci de Scalea, Montecuccoli et Crocette di Pavullo, breviter religiosam quoque communitatem experiens. Omnibus proximus, etiam cum a fide aversis colloquebatur, plurimas reprehensiones et obtrectationes in se convertens. Flagrante bello, hospitium et præsidium militiis recuperandæ libertatis præbebat, sana et recta doctrina christiana semper servata prædicataque. Etsi persæpe mortis minas reciperet, numquam officio suo deesse voluit. Nocte cui illuxit dies 21 iulii 1945, bello iam exacto, communistæ doctrinæ fautorum turma illum eripuit et interfecit; paucos post dies corpus lacerum in proxima vinea repertum est. Die 27 mensis octobris 2020 Summus Pontifex Franciscus eius martyrium agnovit; Mutinæ die 28 mensis maii anno 2022 beatificatus est.

De Communi pastorum: pro presbyteris.

Ad Officium lectionis

LECTIO ALTERA

Ex Litteris encyclicis «Veritatis splendor» sancti Ioannis Pauli II, papæ

(Nn. 91-93: AAS 85 [1993], 1206-1207)

Martyrium, signum præclarum sanctitatis Ecclesiæ

Ecclésiæ exéempla multórum sanctórum sanctarúmque propónit, qui veritátem morálem prædicavérunt atque defendérunt usque ad martýrium vel mortem prætulérunt uni peccáto mortáli. In sanctórum númerum eos adscribéndò, Ecclésiæ eórum testimónium canonizávit et verum eórum iudícium declarávit, ad quod Dei diléctio mandáta necessarió servánda eáque non declinánda respuendáque compléctitur, in condició nibus quóque gravióribus, étiam cum propó sito servá ndi vitam.

In martýrio, qua morális órdis in violabilitátis affirmatióne, legis sánctitas ac simul dignitátis hóminis personális in violabilitas spléndent, qui ad Dei imáginem et similitúdinem est creátus: dígnitas hæc est nunquam imminuéndá vel adversánda, quamvis bona mente, quæcúmque sunt difficultátes. Iesus summa severitáte nos admónet: *Quid prodest hómini, si lucrétur mundum totum et detriméntum fáciat ánimæ suæ?*

Martýrium quidem «humánam significatió nem» uti falsam et fallácem infitiátur, quam áctui per se moráliter malo quis tribúere velit, étiam in condició nibus «singuláribus»; immo ámplius veram eius effígiem revélat, quæ est «humanitátis» hóminis violátió, in eo iam prius qui illum commítit quam in eo qui eúndem pátitur. Martýrium est quoque perféctæ «humanitátis» præcónium et veræ «vitæ» persónæ, ut sanctus Ignátius Antioché nus testátur, fidéles allóquens Romæ commorántes, ubi pro fide passus est: «Ignóscite mihi fratres: non impediátis me vívere: non vélitis me

mori. Dimittite me purum lumen percipere; ubi illuc advenero, homo ero. Concédite mihi imitátorem esse passiónis Dei mei».

Martýrium demum signum est præclárum sanctitátis Ecclésiæ: fidelitas sánctæ Dei legi, quam mors testificátur, maniféstum est núntium missionariúmque offícium usque ad sánguinem, ne veritátis morális spléndor in more atque in personárum societátisque mente obumbrétur. Testimónium hoc summi pónderis præbet iuvámen, ne, non modo in civíli societáte sed étiam in ipsis communitátibus ecclesiálibus, in periculosíssimum deveniátur discrímen, quod hóminem affícere póterit: in confusióne nempe boni et mali, quæ cóndere servaréque singulórum societátumque órđinem morálem non pátitur. Mártyres, generatímque Sancti in Ecclésia, eloquénti allicientíque exémplo vitæ totáliter splendóre veritátis morális illustrátæ, quám libet históriæ ætátem illúminant, eius morálem sensum excitándo. Claro suo testimónio de bono, ipsi viva fiunt obiurgátio iis quotquot legem víolant atque étiam témpore hoc nostro repercútiunt prophétæ verba: «Væ, qui dicunt malum bonum et bonum malum, ponétes ténebras in lucem et lucem in ténebras, ponétes amárum in dulce et dulce in amárum!».

RESPONSORIUM

MI 2, 6; Ps 88, 22

℞. Lex veritátis fuit in ore eius, et iníquitas non est invénta in lábiis eius; * In pace et in æquitáte ambulávit mecum, dicit Dóminus.

℣. Manus enim mea firma erit cum eo, et bráchium meum confortábit eum.
* In pace et in æquitáte.

Oratio

Deus, iustítiae fons et pacis, qui presbýterum Aloísium, vitam in oblatiónem usque ad effusióne sánguinis ponéntem, ad te glorificándum vocásti, concéde nobis, memóriam suam celebrántibus, ut liberánti veritáti fidelitátem custodiámus. Per Dominum.

Beati Aloisii Lenzini, presbyteri et martyris

De Communi pastorum: pro uno pastore.

Collecta

Deus, iustitiae fons et pacis,
qui presbyterum Aloisium,
vitam in oblationem usque ad effusionem sanguinis ponentem,
ad te glorificandum vocasti,
concede nobis, memoriam suam celebrantibus,
ut liberanti veritati fidelitatem custodiamus.
Per Dominum.

LECTIONARIUM

De die, vel de Communi pastorum.

LECTIO PRIOR

2 Cor 6, 4-10: «Quasi morientes, et ecce vivimus».
Fratres: Habemus thesaurum istum
in vasis fictilibus...

PSALMUS RESP.

Ps 30, 3 cd-4. 6 et 8ab. 16bc et 17
R. (6a): In manus tuas, Domine,
commendo spiritum meum.

ALLELUIA

Gv 10, 14: Ego sum pastor bonus, dicit Dominus,
et cognosco oves meas,
et cognoscunt me meae.

EVANGELIUM:

Gv 10, 11-16: «*Bonus pastor animam suam ponit pro ovibus*». In illo tempore: Dixit Iesus: Ego sum pastor bonus...